



Sammelband 99

Index locorum in hoc volumine
explicatorum

- nr. 29 Pf. LXXXIV.
4. Math. II. 17. 18.
28 Luc. I. 78.
10 Act. XIII. 32. 33.
20 Eph. V. 23.
18 1. 34.
11 Col. II. 14. 15.
23 1. Cor. XIII. 2.
36 1. Petr. III. 18.
38 2. Petr. I. 19.
6 1. Jud. 9.
38 Apoc. XIII. 16.

1. *Amstel* de naturalismo rom: eccl:
2. *Historia* questionis quicquid maxime in regno coelorum
3. *Amstel* de resurrectione carnis Christi *Edm. Myr* reformationis spiritus
4. *Historia* & doctrina de filia Sathelii ad Matth. II. 11. 18
5. De natali die Christi *Senabotio*
6. De capitulis inter Michaelen archangelum et diabolum ita oppos. *Misj.* ad Jud. 9
7. *Raphi.* N. oratio de humana Christi generatione
8. De aqua dei, qui totius peccata mundi
9. *vidi.* N. 5
10. De resurrectione filii Christi demonstrata ex generatione filii Ad. III. 32. 73.
11. De lesu Christo spiritus infernalis triumphante ad Col. II. 14. 15 *Cap. 20.*
12. De pace in terra ex adventu Christi
13. De hominibus *Cap. 20. 21. Dominich*
14. De operationibus gratiae
15. *Kipping* animadversiones in demonologiam graellium
16. De usqueque complexi sermone de hominum mediatore, apud veteres gentium *Phil. Christoph*
17. De solubilitate aeternae conjugum
18. De reliquijs abiectionis Christi *ad Col. I. 34*
19. De salubritate philosophum aeternae, et theologum aeternae
20. De differentia Christi pentecostes veteris atque recentis, corrupti
- + 21. *Habesin* de Michael archangelo, eiusque apparitionibus, festis et cultu in monte Gagano
22. *Auld* de precibus.
23. De divinis luminibus susceptoribus. *Wernsdorf* ad Cor. XIII. 2.
24. De visione Dei ante resurrectionem carnis
25. *Christus* pacifer. *Wernsdorf*.
26. De Ayro *Philippus* philosophiae *ante* - *Cap. 20.* *Dominich.*
27. De Dio imperatore. *Wernsdorf*.
28. *Amstel* de *Historia* *eccl.* Christi quinquagesimali
29. *Operationes* philologorum in *Ps. 84.* *Cap. 20.*
30. *Coidel* de veritate resurrectionis lesu Christi.
31. De spir. s. non concurrenente ad quos redemtionis
32. *Disciplina* *eccl.* circa orationem dominicam.
33. De multitudine Christi per spiritum
34. De momento lesu: et chronol. ad determinandum natalem Christi diem.
35. De mo. ex trinitate resurrexerat. *Amstel*
36. De spiritibus in custodia. ad *Petr. III. 18.*
37. De puritate Christi.
38. *Wernsdorf* de Christo physico nostro. ad *Luc. I. 78.* 2 *Petr. I. 9.* *Apo. XXII. 16.*
39. *Caroz* de obsequio diaboli conpunitio *denegata*
40. De spir. s. De *degit.* ad *Col. I. 23.*

+ 40. 20 *apud* *Caroz* *progr.* de Christo sui conpunitio *saluatore.* *Caroz.* *let.* 26



PROGRAMMA
DE
NATALI CHRISTI DIE
SERVATORIS NOSTRI
NATIVITATIS FESTO SACRVM

IN
ACADEMIA IVLIA
P. P.

MDCCXXXVIII.

HELMSTADII
TYPIS PAULI DIETERICI SCHNORRII
ACAD. TYPOGR.



PROGRAMMA
DE
NATALI CHRISTI DIE
SERVATORIS NOSTRI
NATIVITATIS FESTO SACRUM

IN
ACADEMIA ILLIA

P. P.

MDCCCXXXVIII.

HERMSTADT

TYPIS PAULI DIETRICH SCHNORR
ACADEMIAE TYRONE



Redit beata illa lux, quae orbi lumen dedit, & magni illius pietatis mysterii, quod *Deus manifestatus est in carne, iustificatus in spiritu, cognitus ab angelis, praedicatus gentibus, creditus in mundo & assumptus in gloriam**, prima in publicum posuit initia. Maximum profecto est mysterium, ipsum Deum humanam induere substantiam, eamque primorum parentum lapsu penitus conspurcatam, non solum in suo corpore a fordibus illis originariis illibatam servare, sed etiam sua puritate suoque merito in eorum, quorum factus frater est, personis labem innatam extinguere; modo miseris mortales a salvifico fidei tramite non aberrent, neque sese immensi huius beneficii indignos reddant.

Antiqui foederis tabulas mysterium hoc, sub umbra Dei, in rubo ardente sese manifestantis, occultare, dicunt: Sed hanc rem doctissimorum sacrae scripturae scrutami-

A 2

mini-

* I. Tim. III. 16.

4
minibus relicturi, autores tantum suasores-
que erimus, ut ex mysterii illius magnitudi-
ne, in festo hoc die, eo magis vacandi medi-
tationibus, religiosaque illud mysterium
mente demirandi, ansa desumat. Nec mi-
nus hoc magni reconditique mysterii nomi-
ne venire potest, quoniam aeternum Nu-
men, ut infensissimos sui hostes ab aeternis
redimere posset flammis, unigenitum suum
filium mortalium sortem, absque peccato
tamen, subire voluit, ut ex ipsius deinde san-
guine, iustae, quam ferebat in peccatores, i-
rae, sufficiens enasci posset satisfactio. Stu-
pendum denique & inauditum est mysteri-
um, quod omnium rerum autor, dominus,
moderator & arbiter spontaneae se submit-
tere voluerit paupertati *, ut hostes suos ae-
ternis bearet divitiis.

Ille itaque dies, qui humano generi tan-
ta peperit bona, albo merito notandus est
lapillo. Quinam ille fuerit, eruditorum ob-
noxium est litigiis.

Id factum esse, Augusto tertium ** Ja-
ni

* II. Cor. II. 9.

** Pagi apparatus chronologicus ad annales Baronii. pag.
34. De Jano sequentia habet CICERO lib. II. de natura
Deorum. §. XXVII. pag. 421. cumque in omnibus rebus
non haberent maxima prima & extrema, principem in
sacri-

5
ni Quirini templum claudente, cum pax per
universum Romanum orbem vigeret, per-

A 3

multi

sacrificando Janum esse voluerunt, quod ab eundo nomen
est ductum, ex quo transitiones perviae, Fani, foresque
in liminibus profanarum aedium, ianuae nominantur.
Janum Quirini clausit. HORAT. Od. ult. In vetust. quibusd.
codic. legitur Eanus. Janum Quirinum semel
atque iterum a condita urbe memoriam ante suam clausum,
in multo breviori temporis spatio, terra marique pace
parta, ter clausit. LANGIVS, ut autor est TORRENTIVS
ad SVETONIUM in Augusto c. XXII. legendum censet:
tertio clausit, ut SVETONIUS conciliari queat
LIVIO, cuius haec sunt verba lib. I. Bis, de Jano loquens,
deinde post Numae tempora clausus fuit, semel
T. Manlio Coss. post Punicum primum perfectum bellum;
iterum, quod nostra aetate dii dederunt, ut videremus,
post bellum Actiacum ab imperatore Caesare Augusto
pace terra marique parta. Eadem propemodum PLUTARCHVS
in Numa p. 25. de Jano eiusque templo habet. Est eius
templum, inquit, Romae duabus portis, quod belli ianuam
vocant. Legitimum est ipsum aperiri, cum bellum sit;
in pace autem, quod aut raro etiam factum, cum aliquo
bello semper imperium suspensum teneatur, claudi.
Verum Augusto Caesare imperante, post Antonii profligationem,
clausum est, & antea M. Emilio & T. Manlio Coss.
haud multum post temporis deinde, continuo ingruente
irrupenteque bello, apertum est. At Numa rege neque
ullum diem apertum visum, sed tres & quadraginta
annos continuos clausum mansit, usque adeo bellicas
res undique prorsus abstulit, amovit, perdidit.
Alii autem OROSIVM sequentes, vulgarem retinent
lectionem, atque Augustum trina vice Jani templum
clausisse adfirmant. Tertium, inquit, CASAVBONVS
ad Sueton. in Augusto c. XXII. clausit Augustus
A. V. C. DCCXXV. Coss. se V. & Sexto Apuleio post

multi adfirmant. Quo autem tempore tertia vice Jani clausae sint fores, in ambiguo po-

post victum Antonium. Quartum idem princeps Coss. i-
 pso IX. & M. Junio Silano, cum ex bello Cantabrico
 Romam redisset A. V. C. DCCXXIX. autor DIO in eius
 anni actis lib. LIII. & OROSIVS clare lib. VI. c. XXI.
 Quintum quoque clausit idem imperator circa tempora
 regis & pontificis summi Jesu Christi, Domini nostri.
 Dio historiae non meminit, sed meminerunt veteres alii,
 ex quibus sumfisse Orosium, qui discrete notat lib. VI. c.
 XXII. non est dubium. BAUDOINVS in annotat. ad Sueton.
 p. 107. haec Casauboni in lingua Gallica refert, postquam
 Suetonii verba in vernaculam suam hoc modo transfulisset:
Aiant rendu la paix universelle & par mer & par terre, le Temple de Janus, surnommé Quirin, qui depuis la fondation de Rome n'avoit été clus, que deux fois, fut par lui fermé trois fois, & ce en peu de tems. Junge LIPSIVM in electis lib. I. c. XX. PIGHIVM in anal. Roman. tom. II. p. 93. Hic A. V. C. DCCXXIV. tertium ab Augusto Janum clausum l. c. tom. III. p. 503. dicit, licet bella cum Germanis Vaccacis & Cantabris adhuc durarent, quae videntur navici pensa esse. Fasti Consulares ab ALMELOVEN editi Caes. Octaviani consulat. & Sex. Apuleium collegam A. V. C. DCCXXIV. tribuunt: NORISIVS autem in fastis consularibus A. V. C. DCCXXV. ponit. PIGHIVS l. c. p. 512. asserit A. V. C. DCCXXVIII. ab Augusto IX. Consule, M. Junium Silanum collegam habente, devictis a Caesaris legatis Cantabribus, denuo Janum clausum, memorat. Illum annum Augusti, nono consularitu & societate in hac dignitate M. Junii Silani, notabilem fuisse, ALMELOVII fasti Consulares docent. NORISII vero fasti hos Consules ad annum DCCXXIX. referunt. Id adhuc notandum, impingere Casaubonum, quando tradit, Augusto, ex Cantabria reverso, Ja-

positum. Verisimile autem est, biffontis⁷
illius portas tertio, quod inter ann. V. C.
DCCXLIIX. & DCCLI. intercedit, interval-
lo, oclusas esse.

Pe-

Janum clausum. Nam ille expeditioni in Cantabri-
am non adfuit. *Quintum* Janum clausum A. V. C.
DCCL. opinantur, ubi Jesus Christus, Dei filius, in
Bethlehem natus; alii autem hoc anno sequenti, vel
etiam biennio post factum esse adserunt. PIGHIVS A.
R. tom. III. p. 531, 532. ALEXANDER *ab Alexandro dier.*
genial. lib. I. p. 22, 23. Formula, qua Suetonius utitur:
pace terra marique parta, plerumque numismatibus
Augusti & imaginibus est inscripta. Cum Sextum
Pompeium devicisset, ad rostra columna posita cum
inscriptione: OB PACEM DIV TURBATAM TERRA
MARIQUE PARTAM. Extant etiam Augusti & Neronis
numi, in quorum parte altera templum Jani clausum
conspicitur, cum hac inscriptione: JAN. CLV. ET
PACE. P. R. TERRA MARIQUE PARATA JANVM CLV-
SIT.

* Jano non una sunt in antiquitate nomina. Cum pri-
mus omnium deorum habitus, inprimis PATRIS cog-
nominem compellatus est. Veterum loca hanc in rem
extant in ROSINI *antiquitatibus*, DEMPSTERO
curante, *auctioribus* lib. II. c. CXXII. p. 125. Haud
dubie hac respexit PVBL. PAPIN. STATIVS, quando
lib. V. *Thebaidor.* v. 145. apud BARTHIVM p. 213. ita
canit: *Lunarumque putes agmen descendere, ubi arma
indulget PATER, & saevi movet ostia belli.* PLINIUS
lib. XXXIV. c. VII. vocat Janum GEMINVM a Numa
rege dicatum, qui pacis bellique argumento colitur.
Adde PIGHIVM in *annal. Roman.* tom. II. p. 75. *seqq.*
*Janus, inquit PLVTARCHVS in Numa, apud vetustis-
simos illos sive rex, sive genius fuerit, dicitur serum*
&

8
* PETAVIO * lubentes concedimus, ad Christi
Servatoris nostri ortum investigandum
ma-

& sylvestrem cultum in urbanum civilemque mutasse, perindeque ipsum BIFRONTEM fingunt, tanquam alteram ex altera, & formam dispositionemque dederit. NATALIS COMES *mytholog. lib. II. p. 118.* De variis Jani bifrontis explicationibus, eiusque ut CAELI IANITORIS functionibus, vid. PIGHIVS l. c. ROSIN. *antiquit. lib. II. c. III.* & ad illud *paralipomena, les images de dieu,* translata ex Italico Carturi libro in Gallicum idioma par VARDIER p. 47. seqq. Anni deus fuit, atque hoc Numa, teste PLINIO, indigitare voluit, quando ipsius statuæ ita digitos dispositos addi curavit, ut 363. ostenderent. Vid. MARTIAL. *lib. IX. epigr. VIII.* & *lib. X. epigr. XXVIII.* OVIDIVS *lib. I. fastorum.* Literalis explicatio Jani bifrontis, qui in templo, quod Romulus, postquam Romani cum Sabinis in unam coaluerant gentem, struxisse fertur, signum fuit, verior haud dubie est, ut significaretur, duos populos in unum coisse. Mysticus huius mychi sensus creditur esse, quod prudentis sit, ex praeteritis futura callide conicere. Etenim sententia mystica, quam de Jano bifronte CARTURI habet, mihi nimis philosophica videtur. Sunt qui putant, Noam esse, quem Romani Janum vocant. LILIVS GYRALDVVS *syntagm. IV. histor. deor. p. 151.* KIPPING *in antiq. Rom. lib. I. c. II.* Adde explicationem numi aenei apud du CHOVL *de la religion des anciens Romains p. 28. 29.* Templum Jani tria fuerunt, aedes una. Templum Jani a Duilio, qui primus rem Romanam mari prospere gessit, structum, Tibertius restauravit. TACITVS *lib. II. annual. c. XLIX.* Aderat etiam templum Jani QUADRIFRONTIS. ROSINI *antiquit. p. 123.* NORISIVS *in Cenotaphiis Pisanis dissert. II. c. X. Pagi l. c. p. 34.*

* *Rationar. tempor. P. I. lib. I. c. XXXII. p. 273. seqq.*

maxime Herodis historiam facere: Verum,⁹
negari etiam nequit, Herodis & Herodiadum
annales & rerum gestarum commentarios,
si qui unquam, dubiis esse obnoxios.
TERTULLIANVS * Christum censet natum,
cum sub Augusto census in Judaea per C.
Sentium Saturninum, Syriae praesidem **,
peragerentur. Confugiunt nonnulli ad hanc
sententiam, qui Christi inter mortales pri-
mordia A.V.C.DCCXLIX. vindicant. Hunc
annum pro auspicali Christi, ut hominis,
Marcus Antonius, Capellus, Keplerus & Hen-
schenius habent, atque hanc sententiam pro-
babiliorem dicit PAGI ***. DEKERIVS, PETA-
VIVS in libro *de doctrina temporum*, ad quam
provocat in *rationario*, A. V. C. DCCXLIX.
Servatoris nostri natalem dicunt. Haec opi-
nio Pagio probabilior visa, antequam duo-
rum Quinctilii Vari, qui ex Syria, ubi Satur-
nini successor fuit, redux, sua suorumque clade
Germaniam nobilitavit*, numerorum notitiam
B acce-

* lib. IV. contra Marcionem.

** Hic post Titium A. V. C. DCCLXIV. legatus in Syri-
am missus. JOSEPH. *antiq. Jud. lib. XVII. c. I. & II. p.*
442. & 444. Conf. PAGI *apparat. chronolog. p. 29.*

*** l. c. p. 31.

* Vide *monumenta Paderborn. & SCHATENII historiam*
Westphaliae, ubi Romanorum scriptorum de hac cla-
de memorantur loca.



acceptit. Tres Quinctilii numos refert NORISIVS *, quorum prior annum exhibet EK, nempe XXV. qui exiit per autumnum. A. V. DCCXLIIIX; alter cum RK, anno XXVI. imperii eiusdem principis in Syria sculptus fuit. Denique tertius Mediceus cum ZK, annum Syriaci imperii Augusti XXVII. denotat, qui exiit sub autumnum A. V. DCCL. Apparet itaque, sub A. V. C. DCCXLIX. Saturnini Syriaco praesidio, Christum non posse esse in lucem editum. Quinctilio Varo, Syriae praefide, Christum natum, NORISIVS l. c. affirmat, quando ibi haec profert verba: *Quare, si quo anno mortuus est Herodes Ascolinita, Quinctilius Varus praeses Syriam obtinebat. Sub eodem pariter praefide Syriae ** Christus, Dominus noster, natus est; nequit enim eiusdem natalis circa annum DCCXLIIIX retrahi.*

Quae ex Tertulliano supra allata sunt, quod Saturnino Syriae praefidente Christus natus sit, dubium habere videtur, quoniam, ut ex Luca *** apparet, *exiit edictum a Caesa-*

re

* De epochis Syro-Macedonum p. 254. De Varianis numis, a Toinardo, Vaillantio & Norisio visis, confer PAGI in adparatu chronologico ad annales Baronii.

** Post mortem Herodis, nihil expectato Caesare, Simon quidam regium nomen invalerat. Is a Quintilio Varo obtinente Syriam punitur.

*** c. II.

11

re Augusto, ut describeretur universus orbis. Haec descriptio prima facta est * a praeside Syriae Cyrenio, & ibant omnes, ut profiterentur, singuli in suam civitatem. Sed, ut autor est NORISIVS in cenotaphiis Pisanis **, facile, quae Tertullianus, habet, cum divino Lucae effato conciliari possunt. Haud dubie enim Quirinius rerum gestarum gloria, in primis *** ob Homonadenses devictos celebrimus, ad agendum per Syriam censum, cuius Iudaea, postquam in provinciae formam * redacta, & procuratorem accepit, appendix facta, licet Saturninus aut Quinctilius Varus Syriae praeses esset, cum extraordinario imperio ad peragendum censum ** missus erat. Nec de-

B 2

sunt

* TACITVS *annal.* lib. I. c. IV. n. 7.

** p. 320. NORISIVS insigni opere illustravit Cenotaphium Caii consularis, quod Pisis extat. Vid. PAGO *critic. ad annal. Baron.* p. 3.

*** Josephus lib. XIII. c. ult. in fine ait: *Interea Cyrenius vir consularis destinatus, censum in Syria dispositurus, & domum Archelaei redditurus.* Sulpicium Quirinum Ciliciae praesidem fuisse, non dicit TACITVS lib. III. *annal.* c. XLIX. sed tantum illum, expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis, insignia triumphus adeptum. Decennio demum post Syriae praeses & curator factus.

* Hoc factum Archelao, filio Herodis, in exilium Gallicum missi. Vid. PAGO in *apparatu chronolog. ad Baronii annal.* p. 32.

** SEYDELIVS *observat. tom. I. observ. XL. MOVNTACVTIVS in originib. eccles. tom. I. p. 1. ad 21. Memoires de*

TIL-

sunt alia exempla, non provincias legatos aut praefides, sed alios, extra ordinem, ad hanc spartam missos, census collegisse. Sic Germanicus, non ordinarius Galliae legatus, ab Augusto, ad census in Gallia accipiendos, summo cum imperio ablegatus est.

Baronius scribit, Mariam * virginem mundi

TILLEMONT *tom. I. not. 2. sur Jesus Christ. p. 188.* Errores, qui hic a Baronio committuntur, notantur a NORISIO *in cenotaphiis Pisanis p. 311. & a PAGIO in apparatus chronologico p. 32. seqq.*

* De Maria multa circumferuntur fabulosa & incerta. Horum numero est, quod parentum voto, perpetuae fuerit destinata virginitati. Alii, huic voto se addixisse, antequam nuptias cum Josepho contraheret, alii autem, post desponsationem hoc factum esse, tradunt. Vid. JOANN. ANDREAE SCHMIDII *dissertat. de fabulis marianis p. 1. 2.* Eiusdem farinae est Baronii traditio, quod Maria Joachimi & Annae precibus impetrata, a cunis usque ad exlibitum in templo educata, & Josepho, non ut uxor fieret, sed ut illibata eius servaretur pudicitia, tradita sit. Fabulae autorem citant Nicephorum. Quae hic Baronius de Judaeorum monialibus templi custodibus habet, vide apud SCHMIDIVM l. c. §. 3. seqq. Nec minus somnia sunt, quae habet IGNATIVS HYACINTHVS de GRAVESON *de myster. & ann. Christi.* Hic asserit Mariam, quum angelum, se mundi Servatorem parituram, habuerit nuncium, Josepho iam tum connubio fuisse iunctam, sed virginitatem intemeratam fuisse. Vaticinium hanc in rem excitat. EZECHIEL. c. XLIV. v. 2. Fabularum de Maria epilogum faciat miraculosa dormunculus, in qua
Ma-

mundi Servatorem, Cornelio Lentulo & Valerio Messalino fasces consulares moderantibus, A. V. DCCLI. filium hominis, qui Deus est, enixam esse. PIGHIVS * haec habet: *His consulibus, ait Cassiodorus, D. N. Jesus Christus, Dei filius, in Bethlebem Judae nascitur, anno imperii Augusti quadragesimo primo. Plures autem anno sequenti VIII. Cal. Jan. anno imperii quadragesimo secundo volunt natum. Nonnulli etiam biennio postea, anno imperii Augusti XLIV. Caesar & Paul. Coss. sed has controversias adcurate satis excussit Onuphrius. A. V. DCCLI. natalitium quoque Christi diem SCALIGER, CALVISIVS ** aliique *** adscribunt. PAGIVS Christi hominis primum annum V. C. DCCLIV. ex Erae Dionysianae calculo dicit *. Interim*

B 3

ait

Maria nata, & Servator noster educatus, quae per Angelos in Dalmatiam & post aliquod tempus inde in Italiam per eosdem baiulos transportata dicitur. Hodie Loretti immensis implera divitiis conspici fertur. Vid. *le glorie maestose del santuario di Loreto, da BALDASARE BARTOLI.*

* *In annalib. Romanor. ad A. V. DCCLI. Tom. III. p. 929.*

** p. 424.

*** *Vt BVCHOLZERS in indice chronolog. p. 121. BESOLDVS in synopsi. HELVICVS in tabul. chronol. Plures huic opinioni, quae in Patriarchatu Alexandrino recepta fuit, addictos enarrat PAGI in apparat. chronolog. p. 37. &, quod ei displiceat, adiiicit.*

* *Crit. in annal. Baronii H. C. p. 1. edit. Paris.*

14
ait **: *verum Christi annum natalem nobis incompertum esse.* In hoc adstipulantes habet NORISIVM * & GVTTEBERLETHVM **. Notandum namque, verum annum Christi, quem certum nondum demonstratum esse diximus, cum natali Christi Dionysiano non esse confundendum. ***

An miracula * Servatoris nostri natiuitatis in Augusti pervenerint notitiam, non satis certum est. Videntur omnino natales, quos angeli sanctissimis concelebrarunt hymnis, & qui Magos ab ultimo evocarunt Orientis, Augusto innotuisse **. Quis dubitaret, novam illam stellam a Romanis quoque Astrologis observatam esse. Nonne tibi persuasum haberes, Herodem, aliosque, Romani imperii illic locorum res curantes, memorabilem Christi, Servatoris mundi, natali-

** In *apparat. chronol.* p. 37.

* In *epoch. Syro-Macedon.* p. 254.

** In *chronologia* p. 205.

*** Vid. PAGO in *apparat. chronolog.* p. 37. 38. ubi late de Era incarnationis Alexandrina & Dionysiana agit. DIONYSIVS EXIGVVS, saeculi VI. scriptor, Christi natales tempore, quo Caius Caesar & Aemilius Paulus Coss. fuerunt, illuxisse autumat.

* De signis fabulosis natiuitatem Christi antecedentibus & concomitantibus vid. SCHMIDII *dissertat. de historia saeculi & fabulis varior. maculata Sect. II. c. 1. 2.*

** Vid. NEVMANNI programma XVII.

15
talium fortem, commentariis suis, de rebus
in Judaea gestis, ad Augustum perscriptis, in-
feruisse? Displicet quidem traditio Baronii,
acsi Augustus puero Hebraeo * religionis
praestiterit obsequia: Verum obinde in Ca-
sauboni non transeo castra, qui contendit,
Christum ne de nomine quidem Augusto co-
gnitum fuisse.

Sed linquamus historica haec & cordi-
bus nostris Bethlehemo, id est, salutis no-
strae aeternae civitati adpropinquemus. Re-
cens nato Dei filio mentem nostram puram,
id est a vitiorum & vanitatum sordibus va-
cuam, in donum offeramus, ut eam Spiritus
Sancti donis perficiat, & a quisquiliis defecti-
bus que, quibus pectus nostrum laborat, li-
beret. Fac, dulcissime Jesu, ut tua incuna-
bula nobis aeternae vitae plenitudinem pari-
ant. Si Deum in carne ** videre cupitis, a-
man-

* Si narrationis, quam habet NICEPHORVS H. E. lib. I.
c. 17. fides extra ambiguum posita, minus profecto
dubii superesset, Augustum Jesu Christi notitiam na-
ctum: Verum suspecta omnino est Nicephori fides, prae-
fertim, cum monumenta fide digna de hac re, si vera
esset, notatu dignissima, nequaquam siluissent. Quid
enim illustrius esse potuisset, quam oraculum Apol-
linis per puerum Hebraeum ad silentium esse re-
ductum.

** Joann. I. v. 1. & v. 18. v. 2. X. v. 30. XIV. v. 9. XVII.
v. 22. 23. Hebr. I. v. 3. Coloff. II. v. 9.

mantissimi commilitones, frequenter purioribus nostris, ubi vobis per verba divina de verbo conspiciendus praebetur, * adsitis, quaeso, sacris, & ex largissimo, qui ibi proponetur, meriti Christi thesauro, tantas sumite suppetias, quibus futurae vitae beatitudines redimere possitis.

Misi nuncios meos omnes sensus exteriores, ut quaererent Deum, & non inveni, quia male quaerebant. Nam oculi dicunt, si coloratus non fuit, per nos non intravit. Aures dicunt, si sonitum non fecit, per nos non transiit. Gustus dicit, si non sapuit, per me non introiit. Tactus etiam addidit, si corpulentus non est, nihil me de hac re interrogas. Non ista igitur sunt in Te, Deus meus es tu, & quem misisti Jesum Christum &c. AUGUSTINVS in soliloquiis c. XXXI.

* De variis rationibus, quibus se Deus humano generi patefcit, confer NEVMANNI programma. Valde controversum, an sanctus Benedictus extra se raptus, Deum intuitiva visione, qua Dei essentia videtur, non autem in aliqua creaturae imagine viderit. ANGELVS DE NVCE ad vitam Benedicti a Leone Ostiensi, conscriptam tom. IV. Script. Ital. p. 231.



153883

X 2286633 ✓

ULB Halle

007 138 997

3




ND 18

R







Farbkarte #13

B.I.G.

OGRAMMA
DE
CHRISTI DIE
TORIS NOSTRI
IS FESTO SACRVM
IN
EMIA IVLIA
P. P.
DCCXXXVIII.

HELMSTADII
DIETERICI SCHNORRII
CAD. TYPOGR.

5

